



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

XXVII. Ad gulosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Instructio meritoria.

Supplicemus per merita SS. quatuor Ecclesiæ
Doctorum pro circumspectione Christiana, &
flectentes ad cœlos clamemus: Da mihi Jesu!
sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum
sit, & mecum labore, & sciam, atque audiam,
quid acceptum coram te.

III.

BOne! Avertat cœlum! ne audiat detractorum.
Hunc aut fugiat, aut opportunè importunè compescat! Nihil enim prodest vobis;
vel inde gravabitur super illum, cuius nomen
patitur; vel super eum, qui detrahit. Quærat
potius, quod proximo laudabile, & meritorium
sibi. Qui detractiones audit, semetipsum occi-
dit. Quanta crudelitas!

Instructio meritoria.

Fuga est optima contra detractiones tutrix,
& custodia. Nemo cogitur, ut audiat malum.
Datur ergo effugium, & à tali occasione rectâ
viâ aut ad templum, aut ad cubiculum perga-
mus, & flectentes coram piâ Imagine psalmum:
Deus in Nomine tuo salvum me fac &c. sub-
damus. Hic clamor penetrat cœlos, & terret
inferos.

EXHORTATIUNCULA XXVII.

Ad Gulosos, & circa cibum, ac potum
immortificatos.

I.

QUod Ecclesiasticus omni prudenti, idem di-
co & ego filio spirituali: Fili! noli esse
avidus

avidus in epulatione , & non effundas te super omnem escam. Ex hac effusione oritur inepta animæ lætitia, impuritas, hebetudo intellectus, tœdium orationis , ac dissolutio morum. Optas, ut tibi sit longior ætas? Pone aviditati metas.

Instructio meritoria.

Certa statuatur mensura in cibo , & potu , quam ne excedamus amplius , SSS. Trinitati ad quamlibet refectionem unum cibum reflexè ex integro offeramus , & locò hujus spiritualem communionem instituamus. Post mensam psal- mum *Miserere* persolvamus cum singulari men- tis compunctione. Citò in gustu deficimus !

II.

Dilectissime ! Nunquam cogitavit bonus fieri Christianus , qui non didicit frangere gu- lam. Nunquam credat , se vivere spiritu , qui suò nimium ducitur , ac regitur gustu. Nun- quam gustabit spiritualia, qui totus fertur in sen- sualia. Oportet Christianum sumere , quô su- stentetur ; illud verò abominari , quô satietur , aut impinguatur. Paucis ! Heu ! foras ! foras ex domo Dei cum pinguibus tauris.

Instructio meritoria.

Donum temperantiæ , & abstinentiæ per ge- nerosam appetituum expugnationem , & victo- riā ut obtineat, in honorem omnium SS. Mo- nachorum , & Eremitarum , qui hîs virtutibus eminuerunt insigniter , recitet ante refectionem quotidiè quatuor Pater & Ave , immiscendō quatuor virtutes Cardinales , vid. *Prudentiam*.

Kk 4

Justi-

justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Magna dantur solis potentibus.

III.

O Fili ! Non est regnum Dei esca, & potus : sed justitia, pax, & gaudium in Spiritu S. Tam brevis est ciborum voluptas, ut spatio loci vix sit quatuor digitorum, & spatio temporis vix tot momentorum ; & tamen adeo absorbemur, ut Dei, & cœli obliviscamur. Statuamus tandem cultrum gutturi nostro, quô & in hac vita gustemus , quâm suavis sit Deus, & in altera repleamur torrente voluptatis æternæ.

Instructio meritoria.

De quolibet cibo bolum unicum saltem, vel alterum ex delicioribus epulis sacrificare Christo pro semper statuamus, nec extra prandii, ac cœnæ tempora aliquid unquam admittamus sine necessitate. Frequens in corde , & ore sit nobis Psalmus : *Quâm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* cum Rhythmo amoris : *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi &c.* Desipit, quidquid amor Dei , aut cœli non condit.

EXHORTATIUNCULA XXVIII.

Ad Superbos , & elatos.

I.

Charissime ! Nondum ex inferis percipimus fastuosorum lamentabiles ululatus : *Quid profuit nobis* (vociferantur :) *superbia ? aut di- vitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transie- runt*